



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

9. Considerationes de Beneficiis Dei

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

5. Quale hac in re exemplum nobis dereliquerint sancti, & quem inde fructum modò in æterna felicitate percipiant.

6. Quomodo tu hætenus veritatis illius praxi studueris, & quid in posterum facere debeas.

7. Firmo concipies proposito inde fructum illum eliciendi, quem Deum à te requirere hac in veritate cognovisti.

9. *Considerationes de Beneficiis Dei.*

SI meditari volueris de *Dei* in te *beneficiis*, illa accipere poteris vel omnia simul, vel unum post aliud, aut unam cujuslibet partem, ut tibi suppeditet meditationis materiam. Ex istis verò aliqua omnibus omninò hominibus sunt communia, ut Creatio, Conservatio, & Redemptio: alia communia quidem sunt pluribus, sed non omnibus, ut vocatio ad Fidem & justificatio, alia sunt paucis personis peculiaria, ut vocatio ad Religionem, ac demum veræ poenitentiae & conversionis gratia: atque alia denique sunt cuilibet singularia, ut quod natus quis sit bonis ac virtuosis parentibus, quod sit bonæ indolis, propensus ad virtutes, bene in sua tenera ætate educatus & instructus, à certo quodam ereptus periculo, quod plures receperit interiores Spiritus sancti inspirationes, quod aliquando gratis illius tenerè quasi fuerit affectus, quod ab ordinariis mundi dissolutionibus ac vitiis fuerit præservatus, aut certè ab illis misericorditer revocatus, & similia. De quolibet igitur beneficio considerare poteris:

I. Quan-

1. Quantum illud sit.
2. Quis sit ille, à quo ipsum processit?
3. Quid illum ad ipsum tibi conferendum potuerit permovere.
4. Quo fine, quave illud intentione tibi concesserit.
5. Quis tu, cui ille benefecit.
6. Quantum illi idcirco debeas.
7. Quam haecenus ei ingratus extiteris, beneficium non recognoscens, aut nullum ex illo fructum percipere contendens.
8. Quid imposterum facere debeas.
9. Bona concipies proposita præcedenti meditationi conformia.

10. *Considerationes super attributis
divinis.*

DE attributis seu perfectionibus Dei, exempli gratia, illius potentiâ, sapientiâ, misericordiâ, justitiâ, sanctitate, providentiâ & similibus considerabis

1. Excellentiam infinitam perfectionis illius in seipsa spectatæ.
2. Signa illius, quæ Deus ipse exhibet creaturis.
3. Exempla illius, quæ nobis exhibet sacra Scriptura.
4. Qua in re nos ei nos possumus conformare.
5. Quantum in hoc defeceris haecenus, & quid tibi deinceps sit faciendum.

Ecce ea omnia, quæ proposueramus circa secundam orationis partem, quæ est meditatio. Tertiam jam auspicabimur, quæ sita est in affe-